Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26279
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& mutantur. & finiuntur arbitrio. Causas sin
gulorum nouit ille qui conditor omnium est.
& sepe malos reges patitur suscitari. ut ma
li malos puniant. simulque sub ostendit
& generali disputatione preparat audito
rem. somnium quod uidit esse de mutatione &
successione regnorum. Dat sapientiam sapien
tibus & scientiam intellegentibus disciplinam.
iuxta illud quod scriptum est. Audiet sapiens
& apponet sapientiam. Qui enim habet dabitur
ei. & anime que feruet amore sapientie
libenter spiritus dei infunditur. in peruersam autem
animam non introibit sapientia. Ipse reue
lat profunda & abscondita. nouit in tene
bris constituta. & lux cum eo est. Cui deus reue
lat profunda. & potest dicere. o profundum
diuitiarum sapientiae & scientiae dei. iste
habitante in se spiritu scrutatur etiam profunda
dei. & in profundo anime sue fodit altissi
mos puteos. & omnem terram egerit. que
profundas aquas operire consueuit. Seruatque
mandatum dicens. Bibe aquas de tuis